

jam inde ab anno MDCCCLXXXII erecto, res catholica felici incremento aucta fuerit, numeroque fidelium et institutis floreat, peropportunum Nobis visum est Vicariatum eundem ad Dioecesis gradum evehere. Itaque omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpen- sis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. negotiis Propa- gandae Fidei praepositis, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Aposto- licae Nostrae potestatis plenitudine, presentium vi me- moratum Vicariatum Pontiacensem in dioecesim erigi- mus, novamque Dioecesim, ab urbe "Pembroke" ubi ejusdem sedes constituitur, Pembrokiensem esse nomi- nandam edicimus. Decernimus insuper, ut juxta preces communi consilio Nobis porrectas a Venerabilibus Fra- tribus Episcopo Peterboroughensi et Vicario Aposto- lico Pontiacensi nova sedes Pembrokiensis augeatur territorio Missionis vulgo dictae Lacus Timagaming e dioecesi Peterboroughensi dismembrando, atque huic Peterboroughensi dioecesi vicissim accedat. Missio dicta Longi Lacus, quae huc usque ad Pontiacensem Vicariatum pertinuit. Decernentes presentes Litteras, firmas validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffra- gari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos indicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV Maii MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo primo.

ALOIS., Card. MACCHI.